

CANCELL.  
MARTIS B.\*  
1718.\*

XII. t f 32.

~~4417~~ K. grath 34

~~315 BX~~

~~XXVII. 4 a~~





- I. De Iustitia poena in absentes i. mortuorum patuende, atq; in effigie exequenda, sub H. Ferrejo F.W. de Marnix, Trag. 1701.
- II. - Iure circa Ebrietatem, sub H. Dodino I. A. Kugler pro Lic. Hale, 1697.
- III. - Fallacib; indicis Magiae sub H. Dodino, F. N. Brash, Hale, q Lic. 1701.
- IV. - Furtis non agnitis, sub Iac. Brunnemann, H. C. Harcke, Hale, 1700.
- V. - Mendaci effecti in Iure, sub Ernesto Tezell, J. D. Drobisch, q Lic. Erfordia, 1713.
- VI. - Perquisitio domestica, vulgo <sup>fr</sup>auschung, pro Doctori grade D. C. Knige, Marburg, Octroy, 1695.
- VII. - Tumultib; vulgo no, aufstieg, auflauf, sub C. Würtzvelius, J. C. Schmid, Lne.
- VIII. - Delinqvaris defensio, q Doctorat. Licent. J. G. Alting, Lne, Erford. 1695. 1714.
- IX. - Homicidio rigofo s. in rixa comis, q Lic. J. L. Drodmanus, Altdorf. 1710.
- X. - Iudicis, cui annexa Quesito de Proba per aquam frigidam Sagaz, sub J. A. Struvio, J. C. Nehring, Lne.
- XI. - Abolitione Principis, sub J. S. Strykio, H. C. Strykig, Hale, 1695.
- XII. - Iure circa Violentiam coroni alterius inferendam, sub H. Dodino, J. G. Dickeleben Hale, q Lic. 1713.
- XIII. - Furib; à poena laquei imminib; ex impunitate, dicti, sub G. A. Struvio, J. C. Münnig, q Suri in utroq. Iure horribil., Lne, 1680.
- XIV. - Crimine et paenit. Proprieti, sub E. Gerhardo, J. H. Kromayer, Lne 1712.
- XV. - Symbolica Possestio Jurisdictionis criminalis, vulgo Vor, malfiz. & foy, D. G. J. J. ad con legem d. Praden. J. P. Endter. Altdorfij. 1712.
- XVI. - Veritate Paricij sub Doct. Hippio J. Ollingeraff Trag. ad Praden. 1681.
- XVII. - Irimicitur Capitalibus, sub Doct. Hippio, Salomon, Wahl.

- XVIII, De Occasione, Conceptione ac Initiatione Constitutionis criminalis Carolina, sub C. Thoma, I. 2. § 2. 2. von Lio: Hale, 1701.
- XIX, - Abusū astimationis et moderationis Injuriae, sub H. Bodino, I. 2. Mey. er, Hale, 1698.
- XX, - Ute Actionum poenitentialem Iuris Romani in Foris Germaniae, sub C. Thoma-  
lio, R. C. de Hale, Hale, 1693.
- XXI, - Poenis, sub I. Eisenhard, I. Freyd, Helmstedt, 1683.
- XXII, - Fugitionis iniquo usu Hodiono, sub H. Bodino, I. R. Lingov, Lio: Hale,  
1701.
- XXIII, - Fallacibz criminum Iudicior, sub H. Cocejo A. N. de Kleift, Tr. ad Vian: 1691.
- XXIV, - Poenis innocuationis sub H. Bodino, S. H. Oper, p. Lio: Hale, 1702.
- XXV. - G. H. Preucneri Programma An homicidium abz anno recordi sit capi-  
tale, et unde probet, et animq? Senae,
- XXVI, De Homicidio ob Alapam sub D. Tito, C. L. Schmelingius, Regiomontij, 1706.
- XXVII, - Iure Aggravandi Principis Evangelici, in causis homicidij, sub C. Thoma-  
lio, R. Clusaeer, Hale, p. Lio: 1707.
- XXVIII, - Poenis quibusdam Iuris Romani in Germaniam recipiendis, sub H. E. Kep-  
per, I. L. Durck, Rinteln, 1710.
- XXIX. - Incendii, sub P. P. Stevogio L. A. Hambergue, prestant. Intor in U. I. hono-  
raria, 1710.
- XXX, - De Polygania, Incestu et Diuinito, Iure Naturi prohibitiss, sub G. G. Titio, S. H. Lingov, Lio: 1712.
- XXXI, - Oppidatio, sub J. A. Breckendorf I. F. Roeder, Tr. ad Varr, 1708.
- XXXII, - Status earum Procedu criminali, sub E. F. Effinger, K. P. Willm, Senae 1670.
- XXXIII, - Abusus & Ux Tortura sub H. Bodino M. J. Sader, Hale, 1697.
- XXXIV, - Fonsis libellis, sub J. B. Finster, I. Lingov, Senae, von Lio: 1712.
- XXXV, - Delictacione rei furtiva, sub J. J. Ludovicus C. G. Lingov, Hale, 1712.
- XXXVI, - Poenarum lenocinā abusa, I. Fischer, p. Lio: Erfurt, 1712.

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> PHILOSOPHICA  
POENIS

Q V A M  
D. O. M. A.

P R A E S I D E  
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMO,

JOHANNE EISENHART.

J. U. D. hujusq; & Philos. Moral. Prof.  
Publ.

IN JULIO MAJORI

Publico examini subjiciet  
die xvi. Julii

GEORGIUS GRUND

Stadensis.  
A. & Respondens.

---

HELMESTADI,  
Typis Hæredum HENRICI DAVIDIS MÜLLERI.  
Acad. Typ. Anno ccc lxxxii.

DIESER TATTOO SHILOZOPHICUS

# POLY

S A M P L E

D O W N A

AND VARIOUS OTHERS

JOHANNES ERICHSEN

IMAGINE MASTERS

GEORGIANA

THEATRUM MUSICO-MATHEMATICUM

§. I.

**N**obilissimum hoc est effatum & altioris  
indaginis quod a Tarentino Archyta dici soli-  
tum nobis consignavit Cicero in libro *de amici-*  
*tia* hunc in modum: *si quis cælum ascendisset, na-*  
*turamq; mundi & pulchritudinem siderum perspe-*  
*xisset, insuavem illam admirationem ei fore qua jucundissima fu-*  
*isset, nisi aliquem cui narraret habuisset.* Scilicet quotiescunq;  
ille subtiliore quadam consideratione ingentem hanc rerum  
machinam inspexit, hominemque nobilissimum animal intui-  
tus est, acutissimè perspexit hanc inter omnia præcellentiam  
illi futuram insvavem, si in solitudine esset relictus. Quare enim  
mutuum illud adjutorium tam anxiè exoptatur? & quare tot  
legimus querimonias conscriptas & effusas in solitudine,  
quas nulla expellere potuit vita conditio, si non unicum fu-  
isset in socio solatium. Hinc generosa absque socio marcescit  
virtus, & collabescit aliàs nec ignem nec ferrum expavescens  
animus. Imò sacræ id nos docent literæ, non bonum fuisse  
homini vivere in solitudine, licet vita tum adhuc multo esset  
integrior nostra. Sane ille qui huic nondum assensum dedit  
sententiaz, nondum quidem approbavit vocem illam Pythicis  
Oraculis inscriptam: *Nosce te.* Seneca *consolat. ad Mart. c. II.*

II.

Etenim si hanc rerum universitatatem attentius contem-  
plemur, sanè omnia illa quæ se objiciunt oculis, quæ percipi-  
untur auribus, quæ tanguntur manibus, tam nitida & non  
uno genere formosa nobis videntur, ut non tantum pulcher-

rima sua specie mentem & cogitationes nostras delectent, sed cum veritatem cujusque rei avidissime natura inquiramus, id quoq; primarium est in quo acquiescimus, si non in solitudine sed in hominum societate admiranda illa naturæ opera intueri, & ad eorum admirationem alios quoq; cohortari nobis facultas adsit. Sic natura nihil amat solitarium, verissimumq; hoc est veterum axioma, hominem natura esse animal sociabile. Sed cum multis hoc videatur obstaculis involutum operæ preciū me facturum puto, si antequam ad tractationem ipsam titulo præfixam me accingam, primum ejus fundamentum societatem scilicet paulò accuratius considerem, cum huic veluti basi tota superstruenda videatur sequentium tractatio.

### III.

Probatur  
assertum.

Ut itaque à primo ut ajunt ovo opus hoc pertractem li-  
ceat mihi indolem nostram & inclinationem animi humani  
hunc in modum indagare. Novimus scilicet omne illud quic-  
quid anima nostra rationalis intelligit, cognoscit, & dijudi-  
cat, hoc totum posse proferri per loquaciam quam Divina ho-  
mini tribuit gratia. Præterea cum Deus & natura nihil agant  
frustra, hinc inditus homini appetitus naturalis utendi facul-  
tate sibi propria, jam verò cum loqui, &, sive desideria per in-  
digentiam excitata, sive affectum quem erga alios gerimus be-  
nevolum proferre haud liceat, nisi sit respectus ad alium, hinc  
naturalis consurgit appetitus societatis.

### IV.

Refutatur  
itaque sen-  
tentia Hob-  
besii.

Jam puto manifestum esse, hominem ex amore & instin-  
ctu naturali ferri ad societatem quandam, nec in majore un-  
quam animi tranquillitate vivere, quam quando vivit in so-  
ciете humana. Male autem argumentatur Thomas Hobbe-  
sius *l.1. de Civ. c.1. §.2.* dum dicit. *Si homo hominem amaret natu-*  
*raliter, i.e. ut hominem, nulla redditio posset quare unusquisque*  
*unum-*

*unumquemque non aquè amaret ut aque hominem:* Satis siquidem est ad docendum amorem naturalem inter homines, quod homo magis amet hominem quam aliud quid quod non est homo. Quod vero unusquisque non a quoconque æqualiter ametur inde est, quoniam mores & inclinationes hominum sunt quam maximè difformes, dum paucissimi secundum rectam rationem vivunt, plerique autem proprias seellantur voluptates, & multitudinis opinione exemplisque ducuntur, & unusquisque mortalium illum amat, eique se associat, quem vel ætate, vel fortuna vel genere vel deniq; moribus sibi quam maximè conformem existimat.

V.

Verum naturalis ille instinctus colendæ societatis ad di-  
versas societatum species sese determinat, unamque post al-  
teram amplectitur, prout vitæ humanæ indigentia, nunc hanc  
nunc & illam conjunctionis speciem efflagitat; ad quotidiana  
ministeria commodè obtinenda homines lautoris fortunæ  
servos sibi comparant, ad sobolem honestè procreandam so-  
cetas conjugalis initur, ad rem familiarem commodè dispo-  
nendam œconomica societas pertinet, ad omnigenam vitæ  
indigentiam sublevandam, & benè beataque vivendum or-  
dinata est societas civilis Aristoteles *l. i. Polit. c. 2.*

Alia est  
societas  
hominum  
civilis.

VI.

Hæc societas non statim integritatem & perfectionem que orta  
suam habere potuit cum primordio generis humani, sed de-  
mum aucto hominum numero institui cœpit. Nec poterit  
affirmari illam ex amore quodam puro & mero ortam, sed  
potius ex amore & metu quodam. Icet enim defensio sui ex  
amore initium trahat, tamen ille amor non eosque se exten-  
deret, ut etiam de futuris tam esset anxius nisi simul adesset  
metus qui invaderet aliter salutem nostram non posse subsistere

nisi

A 3

nisi in ea societate quæ ad vim repellendam idonea & instru-  
cta; ubi singulæ domus sparsim exstructæ non sufficiunt, sed  
leviori quoque insultu superantur.

VII.

Ex hac so-  
cietate  
provenit  
imperan-  
tium & pa-  
rentium  
ordo.

Cum itaque civilis societas bene beateque vivendi ra-  
tionem pro scopo habeat, hocque cum primis in ea spectetur,  
ut si non omni ex parte beata, saltem tranquilla vita in ea agi  
possit, ad finem illum obtinendum mutua obligatione opus  
fuit, cuius obligationis limites definiuntur ex ipso fine societa-  
ti civili proposito: Ad omnia enim officia civis civi devinctus  
videtur, quæ mutua ac civili benevolentia & defensione con-  
tinentur, violaturq; obligatio illa non tantum neglectu & o-  
missione officii debiti, sed etiam commissione eorum ad quo-  
rum aversionem mutuis consiliis & viribus procurandam illa  
obligatio tendit. Omnes verò ac singuli qui civilem societa-  
tem ineunt cum non sint pariter idonei ad dijudicandum &  
ordinandum quicquid tali societati conducat, quid ad ejus in-  
teritum ac damnum avertendum sit necessarium, hinc opus  
fuit certo imperantium & parentium ordine, cuiuslibet po-  
puli ac nationis genio congruenter instituto, id quod pulchre  
ostendit *Aristot. l.3. Polit. c. u. 1.*

VIII.

Inde etiam  
præmia &  
pœnae.

Præmia vero & pœnae qualē quantamque cum prædi-  
ctis habeant connexionem demonstratu videtur facillimum.  
Videlicet cum natura hominum tantopere sit depravata, ut  
quamvis optimo proposito societatem certo jure & legibus  
ordinatam inierint, tamen ad rectè agendum plerique sint  
tardiores, contra autem proni ad actiones pravas; his vero  
moribus & vivendi institutis, si civitas præclaras quidem ha-  
beat leges, earum vero nullam observet, cum salus civitatis ob-  
tineri non possit, sed potius dissolutio ac distructio civitatis ex  
pravis

pravis moribus & actionibus metuenda sit , certis remediis  
opus fuit quibus cives ad præclaras actiones excitaren-  
tur , & à pravis retraherentur. Hujusmodi remedia sunt  
præmia & poenæ de quibus præclare Ulpianus l. i. ff. de just. &  
jure loquitur bonos non solum meru pœna sed præmiorum quoque  
exhortatione efficere cupientes. Et Aristoteles lib. 10. ad Nicom.  
e. ult. n. 5. & seqq. uno vero ita comparatum est, ut verba, doctrina  
& præcepta possint illa quidem liberalia ingenia cohorari &  
excitare, &c. at reliquos qui sunt multo plurimi non possunt ad  
virtutem impellere: horum enim indoles est ut non pudore pare-  
ant legibus sed metu, non a pravis abstineant propter dedecus sed  
meru pœnarum.

### IX.

De hoc posteriori remedio quod poenam seu delictorum  
coercitionem complectitur , rem in se quidem inameñam  
& horridam, pravis tamen moribus salutarem , & probis so-  
latium & securitatem allaturam in præsenti agere constitui ,  
tradendo pœnæ definitionem divisionem atque finem , unam  
tamen atq; alteram enodando quæstionem , quæ ad hujus ar-  
gumenti illustrationem at tractationem solidiorem necessaria.

Transgres-  
sio ad tra-  
ctionem  
pœnæ.

### X.

Definitionem vero nostram antequam hic apponamus Definitio  
primum considerare liceat illam qvam adfert H. Grot. l. 2. de pœnæ,  
J. B. & P. c. 20. §. 1. & simul audire clarissimi cuiusdam Viri  
censuram & animadversionem: definivit vero illam Grotius  
dict. loc. hunc in modum, quod sit *Malum passionis quod infli-*  
*gatur propter malum actionis*, hac tamen addita cautela, quod  
*opera injuncta tantum earum posse dici pœna quatenus mole-*  
*sta sint*. Petrus Muteus vero in *dissertat. 3. de leg. Civ.* eam non  
absque ratione ut nimis angustam rejecit, quod sc. non o-  
mnis pœna præsupponat actionem , sed & quandoque infli-  
gatur

gatur ob omissionem, quandoquidem mandatis superiorum  
congruenter actum non est. Ut itaque hunc evitare possimus  
scopulum eam definire placuit sequenti modo quod sit *Ma-  
lum passionis legitime irrogatum propter transgressionem legum.*

XI.

Divisio  
Poenarum.

*Malum passionis* inde dicitur, quoniam molestiam conti-  
nere debet, qua tum ipse delinquens ab iteratione, tum alii ab  
imitatione vel ejusdem vel similis delicti deterreantur. *Legi-  
timè irrogatum* dicimus i. e. & ab eo vel ejus auctoritate, qui  
jus & potestatem puniendi habet, & ei qui poenam meruit, &  
eo modo quo par est, nempè legitimè convicto, & eo mode-  
ramine servato, ne poena delicto gravior sit. Etenim poenæ  
irrogatio est actus justitiae particularis, hujus autem justitiae  
rectitudo consistit in æqualitate; & ceteris paribus ea de-  
mum poena justa est quæ delicto æqualis. Quod eum eosve  
attinet, qui potestatem puniendi vel poenas decernendi, irro-  
gandique auctoritatem habent, ex subordinatione societa-  
tum harumque natura & indole facile intelligitur, aliam illa-  
rum potestatum esse privatam aliam publicam, & quod pri-  
mo loco dici debuit, aliam divinam aliam verò humanam:  
undè & poena alia divina alia humana, alia publica alia priva-  
ta. De subordinatione societatum locus elegantissimus est  
apud Arist. *li. 8. ad Nicom. c. 9. a §. 12. ad finem capitinis*, quem  
tanquam nimis longum hic adscribere nolui.

XII.

Qualis sit  
poena in  
societati-  
bus subor-  
dinatis.

Subordinatae itaque haec & privatæ societates sunt, ex  
quibus totum corpus reipublicæ componitur. Et haec quoq;  
directricem aliquam potestatem habere eique subesse de-  
bent, hac tamen ratione ut societatis universæ procuretur u-  
tilitas, & summo imperanti in republica de omnibus ratio-  
reddi possit: sic maritus dirigit uxorem & familiam, sic pater  
gubernat

gubernat liberos, sic dominus imperat servo. Habent tales  
dirigentes in sua societate jus quoddam irrogandi pœnam  
quam supra privatam nominavimus. Pater enim habet jus  
castigandi liberos immorigeros, quando illi intelligere pos-  
sunt minus recte actum, verum jure civili limitata est hæc  
puniendi potestas, non enim illa extenditur ad delicta  
publica, nec licitum in quodvis privatum peccatum  
suo arbitrio animadvertere, & si publicus ordo turbetur  
magistratus suam exercet jurisdictionem. Amplior ta-  
men est hæc potestas jure gentium, hæc enim ampliorem Pa-  
rentibus reliquerunt potestateim, ut quandoque licitum fuerit  
occidere liberos suos; civilia vero jura ideo haut permiserunt  
Parentibus graviorem in liberos delinquentes statuere pœ-  
nam, quoniam non omnis qui gaudet potentia generandi,  
pollet & judicio ac facultate gubernandi. Pari ratione ex ju-  
re naturali aut gentium marito licitum videtur poena afficere  
uxorem, si illa læserit vel personam vel bona mariti, quoniam  
agit contra datam fidem, & legem contractus matrimonialis,  
quo continetur uxoris quædam subjectio a consensu in im-  
perium & potestatem mariti; sed hoc quoque legibus civilibus  
ea ratione limitatum, ut potestas quam maritus habet in uxo-  
rem pœnam graviorem haut comprehendat, sed tantum in  
verbali correctione subsistat. Servi itidem quam maximè  
sunt in hoc statu ut possint puniri a dominis, idque inde pate-  
scit, quoniam ille qui obligatus est ad continua officia, non  
posset a domino suo dirigi, & in officio contineri, nisi & po-  
testas coercendi domino relæta foret, quæ quidem potestas  
dominorum in servos apud Romanos & alias gentes quondam  
adeò ampla erat, ut etiam jus vitæ & necis comprehenderet.  
Sed nonnullis videtur hic status contra naturam esse, cum ne-  
mo nascatur servus, sed omnes secundum naturam naſcan-  
tur liberi; verum optimè responsum est ab H. Grotio

*l. 2. de J. B. & P. c. 22. §. 11. libertatem naturalem intelligendam esse de jure nature precedente omne factum humanum, non hoc per eam significari, quod jus quis non habeat ne unquam servus fiat.* Potest itaque suo consensu servus fieri, vel ex inopia alimenti dum se vendit ad operas continuas pro victu continuo, quam primam putat originem servitutum Puffendorf. l. 6. de J. N. c. 3. §. 4. vel vero in bello dum petit ut vita sibi condonetur sub qualicunque conditione. Et ita quidem sese habet ratio poenarum & puniendi potestas in societate domestica, quae tantum ad leviores poenas se extendit, gravioribus poenis quae infamiam irrogant, corpus mutilant, aut vitam adiungunt, ad Magistratum civilem pertinentibus. Eodem modo sese res habet in collegiis opificum & mercatorum in quibus exercetur modica quedam potestas in membra collegii. conf. D.H.Bruningius de variis universitatibus faciebus §. 51. Omnem vero poenam propter transgressionem legum id est ea de causa quod lex aliqua violata & contemptui habita sit irrogari, aut irrogandam esse contendimus. In legibus enim sive in legum observatione posita est saltus civitatis ut Aristotleles pronunciat in Rhetor. c. 4. §. 22. & per leges diriguntur atque obligantur cives ad pietatem, reverentiam, obsequium, Deo, Magistratu, Parentibusque & iis qui Parentum loco sunt tribendum; qua obligatione negliget a meritas incurruunt poenas.

XIII.

*An poena- rum insti- ctio sit ne- cessaria an vero tan- tum utilis.* Cum itaque leges civiles eum in finem sint latæ, ut divinus cultus ritè & rectè instituatur, ut magistratibus honor & obsequium exhibeat, & ut quilibet in hac societate vivens vitam ibi possit ducere tranquillam, hinc patet, quod ille qui primum in talem consensit societatem, postmodum vero illum proprio facto lœdit, ei necessario propter contraventionem illam debeat infligi poena, ne spes impunitatis addat ferociam

rociam delinquenti majorem, & omni tandem correctione superiorem. Contrariū quidem asserit H. Grotius l.2.C.20.§.3. de J.B. & P., dum necessitatē subeundæ pœnæ convertere vult in aptitudinem quam habeat delinquens ad pœnam. Verum cum natura contractus qui est inter civitatem & civem planè doceat contrariū, dictæ potius rationi, quam auctoritati subscribendum arbitramur. Natura enim contractus talis est, ut in principio omne negotium *contrahendum* sit voluntatis, *contractum* vero necessitatis: cum ergo hac ratione promissa sit a quolibet cive obedientia & respectus legum quæ facta legibus contraria puniunt, non potest præsumi quod is qui consentit in illum contractum, non etiā consentiat in pœnam violati contractus laxaque superiorum auctoritatis comitem. Cum & præterea natura contractus requirat, ut præcisè id fiat quod utrinque conventum est, & uti subditi ad obsequium vi illius contractus & subjectionis sunt obstricti, ita Magistratus sunt obstricti ad subditos in officio continendos, eorumque audaciam reprimendam qui legum iussa negligere haut erubescunt; ideo & necessarium est, ut Magistratus exigat illam pœnam quam leges ipsi præscribunt. Vocabulum vero aptitudinis non posse hic locum habere, vel inde patet, quia ibi ubi tantum est aptitudo, ibi nulla potest locum habere obligatio uti ipse docet Grotius l.2.c.17.§.2 de J.B. & P.

## XIV.

Quod autem Illustris Puffendorff. de J.N. & G. l.8.c.3.§.4. statuit propriè dici non posse ad pœnam aliquem teneri, seu pœnam ab aliquo deberi, quia pœna significat aliquid quod invito est imponendum, & voluntatis aversionem ab illa involvit; hactenus quidem admittimus, delinquentem delicto agnito haut teneri se ipsum Magistratui deferre, aut sibi ipsi irrogare pœnam quam meruit; quam quæstionem eruditæ tractavit Petrus Mu-

Limitatur  
sententia  
Puffen-  
dorffii.

*Iesus de lege civili Diff. 3. §. 20. & seqq.* Ceterum si delinquens  
in custodia publica aut privata jam sit positus, utique existi-  
mamus ipsum teneri exspectare decretum Magistratus, & lu-  
stinere poenam publica auctoritate irrogandam , si per ap-  
pellationem, aliudve legitimum remedium sententia corrigi  
haut possit. Et quamvis nemo propterea delinquat, ut poe-  
nam sibi acceleret, omnisque poena involvat aversionem sa-  
næ mentis ab ejus passione, tamen qui delinquit cum volun-  
tate sua delinquit. (delictum enim est voluntaria legum trans-  
gressio, & si invitus aliquis agat id quod contra legem est, er-  
ratum est, non vero delictum propriè dictum ) hactenus  
quoque is qui sciens volensque delictum committit, si non di-  
recte saltem indirecte consentit in ea , quæ delictum morali  
quadam necessitate conseqvuntur. Unde Imperatores cui-  
dam recte rescriperunt ; ipse te huic poena subdidisti Conf.  
Grot.l.2,c.20.§.2.de J.B. & P. & Dn. Zieg. in animad. ad dicit. loc.

XV.

An poena  
infligenda  
secundum  
propor-  
tionem arith-  
meticam  
an vero se-  
cundum  
propor-  
tionem geo-  
metricam.

Vidimus jam primo loco definitionem poenæ ejusque de-  
finitionis uberiorem quandam illustrationem , nec non obli-  
gationem tum Magistratus ad poenam delinquentibus impo-  
nendam, tum ipsius delinquentis ad subeundam poenam; pro-  
ximum jam est ut investigemus an poena infligenda sit secun-  
dum proportionem arithmeticam an vero secundum pro-  
portionem geometricam; & an ex legibus justitiae distributivæ , an vero ex legibus justitiae commutativæ pœnarum ir-  
rogatio descendat? Sed antequam ad decisionem ipsam hujus  
sentitiae possimus progredi, primum duæ nobis examinan-  
dæ erunt inusitatæ sententiae; prior Thomæ Hobbesi , qui in  
scholis receptissimam distinctionem justitiae in commutati-  
vam & distributivam plane rejicit , altera vero H. Grotii qui  
duas illas justitiae species aliis appellat nominibus.

XVI.Hob-

## XVI.

Hobbesius vero in libro de Cive cap. 3. §. 6. pro confir-  
 manda sua opinione, cum communem lententiam de justitia  
 commutativa & distributiva retulisset, & quod ex communi  
 lententia prior illa in proportione arithmeticā, posterior in  
 geometricā sita sit, de ea sic inquit: *agnosco hic distinctionem*  
*quandam aequalitatis, nempe ut una sit aequalitas simpliciter, ve-*  
*luti quando comparantur inter se dua res aequalis preti, ut libra*  
*argenti cum duodecim uncis ejusdem argenti, altera aequalitas se-*  
*cundum quid, ut cum centum hominibus distribuenda sunt mille*  
*libra, sexcenta dentur sexaginta hominibus, & quadringenta*  
*quadraginta, ubi non est aequalitas inter 600 & 400, sed cum e-*  
*andem contingit aequalitatem esse inter numerum eorum quibus*  
*distribuuntur, unusquisque aequalis partem auferet, unde dicitur*  
*aequalis distributio. Talis autem aequalitas eadem res est cum pro-*  
*portione geometricā. Sed quid hoc ad justitiam, nam neque si res*  
*nostras vendamus quanti possumus injuria sit emptori, qui id vo-*  
*luit & petuit: neque si de meo distribuero plus merenti minus, modo*  
*id dedero quod pactus sum, neutri sit injuria. Id quod testatur i-*  
*pse Servator noster Christus in Evangelio. Non igitur est ea justi-*  
*tiae distinctio, sed aequalitatis. Et sic quidem Hobbes. Sed ne*  
*nunc dicam quam imperite hic explicitetur discrimin inter*  
*proportionem arithmeticā & geometricā, utpote quod*  
*longe aliter se habet quam prout exempla ab Hobbesio allata*  
*volunt, nam arithmeticā proportio in utroque Hobbesii ex-*  
*emplō tibet, geometricā vero proportio in illa distributione*  
*tum deinceps fuisse observata, si sexcenta libra inter sexaginta*  
*homines ita fuissent distributæ, ut non singuli partes numero*  
*aut valore æquales, sed partes inæquales quidem veruntamen*  
*pro dignitate, & sic æqualiter inæquales accepissent; differen-*  
*tia quoq; inter justitiam distributivā & commutativā non tam in*  
*proportionē & æqualitatis ratione queri debet, sed potius in*

objecto utriusque justitiae debet quæri. Objectum vero distributivæ justitiae sunt distributiones commodorum & onerum communium, in quorum distributione hoc agi debet, ut æquales æqualia, inæquales vero pro dignitate æqualiter inæqualia accipiant ex iis quæ in distributionem cadunt. Sed objectum justitiae commutativæ sunt commutations rerum ut Aristoteles docet *l. V. Nicom. c. 2.* in quibus æqualitas arithmeticæ & talio nunc simplex nunc analogica debet observari, prout natura conventionis ac contractus nunc hanc nunc illam talionem postulat. Sic ex contractu commodati restitutio debet fieri juxta talionem simplicem; eodem modo ex deposito: verum in emtione venditione talio analogica æqualitatem dirigit, non enim eadem est res quæ datur & redit, sed pro re vel merce precium æquivalens debet reponi.

XVII.

Attingitur  
sententia  
Grotii.

Jam altera illa sententia H. Grotii *l. I. c. 1. de j. B. & P.* attingenda restat; utrum sc. Aristoteles & Peripateticorum schola rectè an minus rectè statuat, facultatem respicere justitiam commutativam, & hanc pertinere ad res singulorum, aptitudinem vero justitiam distributivam & res spectare communes. Sed satis hunc locum præclarissimi nostri temporis Viri explicarunt & hanc Grotii sententiam emendarunt, quorum nuda hic verba repeterem: lumen abstinere, ad ipsos autores benevolum lectorem remittens, nempe Felden *in annot. ad Grot.* nec non Zigi *animad. hoc loco.* In transcurru hic observandum, sitem quam H. Grotius Peripateticæ Philosophiæ movet circa partes justitiae particularis fere saltem esse de terminis, cum interim duas illas justitiae species hanc impugnet, sed rectissimè dicat, alteram ab altera differre non tali proportionum usu, sed materia circa quam verulantur, quanquam exemplum de contractu societatis & alia nonnulla ibi

ibi tradita minus rectè se habere videantur, id quod jam ab aliis ostensum.

### XVIII.

Firmatā itaque sententia nostra, dari iustitiam distributivam & commutativam, jam deniq; indagabimus, ad quamnam harum pertineat pœnarum inflictio? E quidem ut rem brevi explicemus, quoniam certum est in pœnarum inflictione continetur retributionem ex quadam obligatione debitam, & subesse in ea commutationem quandam & συνάλλαγμα, ut Aristoteles loquitur, quod secundum talionem analogicam exæquari debet, ita ut pœna delicto æqualis sit; hinc omnino statuendum est, pœnarum irrogationem non ad distributivam sed ad commutativam iustitiam pertinere.

### XIX.

Aliis vero qui contrarium docent ex hac ratione quoniam sæpius ob unum idemque delictum diversis personis diversæ infligantur pœnæ, iis respondemus cum H. Grotio l. 2. c. 20. §. 2. de J. B. & P. quod hoc non intendatur principaliter in pœnis, sed tantum eveniat per consequentiam, quia primo ac per se spectetur æqualitas inter pœnam & culpam: non itaque æqualis foret pœna, licet eadem præcessisset culpa, si eadem infamia affigeretur nobili & plebejo, cum hic admodum exiguum inde sentiat damnum, alter vero durissimè per amissionem famæ affligatur; contrarium vero accideret in pœna pecuniaria, quippe nobilis multò majorem exsolvere tenetur multam quam plebejus, ut par sit utrinque malum passionis.

### XX.

Non vero secundum talionem simplicem, ut veterum quorundam fuit sententia, infligi debere pœnam vel inde patet, quod multa sint delicta ubi talio hæc planè non potest locum habere: quanam enim ratione puniretur adulterium, incestus

Pœnæ in-  
fligendæ  
sunt secun-  
dum pro-  
portionem  
Arithme-  
ticam.

Responde-  
tur ad opi-  
nionem  
contra-  
riam.

Num talio  
simplex  
observanda  
in pœnis?

cestus & furtum ? Deindè vero si par esse deberet periculum  
nocentis & innocentis , non corrigeretur hoc modo delin-  
quens, sed potius ad majus perpetrandum instigaretur , cum  
persona læsa de nulla conqueri injuria posset, si lædens idem  
pati paratus sit.

XXI.

Finis poe-  
narum  
quotuplex.

Jam finem poenarum paulò accuratius considerabimus,  
omnia enim quæ peraguntur ob certum finem peragi si ex de-  
liberato proficiantur animo, satis notum videtur. Poenæ  
itaque cum a Majestate civili infligantur , vel ad emendatio-  
nem propriam delinquentis , vel ad securitatem aliorum ne  
in posterum delinquat, vel in exemplum aliorum ; hinc non o-  
mnis poena sub unum finem cadere potest, nisi intelligamus ge-  
neralem illum qui est conservatio & utilitas reipublicæ. Tripli-  
cem itaq; illum finē poenarū civiliū statuimus cum H. Grotio  
*b.2.c.20. §.6.def. B. & P.* aut enim reipicitur utilitas ejus qui pec-  
cavit, aut ejus cuius intererat non peccatum esse, aut indistin-  
ctè quorumlibet. Primus finis intenditur in illis poenis, ubi de-  
linquens modica quadam coercitione in rectam reductus viam  
cum admonitione dimittitur. Secundus vero tunc intendi-  
tur, quando hac ratione punitur, ne eodem possit modo in-  
posterum peccare, & tunc interesse ejus qui læsus attenditur.  
Tertius vero finis intenditur , quando publicè punitur de-  
lictum & interdum tollitur e medio qui peccavit, vel morte  
naturali vel civili, ne terra inquinetur flagitiis.

XXII.

An poena  
infingenda  
propter de-  
lictum  
commis-  
sum , an ne  
peccetur  
in posterum

Examinato jam paucis fine cuiuslibet poenæ, unam al-  
teramve hic rursus movebimus quæstionem, ut eum in mo-  
dum hanc materiam pertractemus , prout antea cœpimus ;  
Cum itaque & maxima sit disputatio, utrum poena sit infi-  
genda propter delictū commissum , an verò ne peccetur inpo-  
sterum,

sterum, paucis quoque eam decidemus. Quidam qui Stoicorum amantes sunt disciplinæ hoc asserunt ex scriptis eorum, quod nemo prudens puniat quia peccatum est, sed ne pecetur, sic enim Seneca loquitur l. 2. de Irac. 32. Ergo ne homini quidem nocebitus, quia peccatum est, sed ne pecet, nec unquam ad prateritum sed ad futurum penare referatur. Verum quoties naturam poenarum penitus inspicimus, toties deprehendimus contrarium. Poena enim quoniam cuique debetur propter delictum, delictum vero illud quod punitur semper est factum jam perpetratum, ideo necessarium est, ut ratione antecedentis delicti alicui infligatur, sive ut præcise quis puniatur quia peccavit. Sin vero hæc sententia eatenus limitetur ut sub hac significatione ne in posterum peccetur intelligamus eam speciem poenæ quatenus illa medicinalis est & publicè infligitur in exemplum aliorum, quod addi solitum in decretis judicialibus, eatenus & nos consentientes habent, sed ideo non totus actus penaliter exercetur, cum principaliter ideo poena praesto sit, quia adest qui deliquit cui jus suum tribuendum.

Vid. Selden. l. 1. c. 4. de Jur. Nat. secundum princip. Ebraeorum.

### XXIII.

Quicunque porro inspicerit ex antecedentibus naturam poenarum, & finem in republica, ille in universum facile decidere poterit, quid graviori, quid vero mitiori poena puniendum sit? Scilicet cum omnis poena salutem reipublicæ promovere debeat, & hinc facile apparet, quod ille qui ingens facto suo damnum reipublicæ attulit & graviori poena sit afficendus. Læsio autem illa cognoscitur ex legibus reipublicæ fundamentalibus. Omnia vero legum cum Divinæ sint sanctissimæ in republica, utpote quibus cultus Dei stabilitur & confirmatur sine quo respublica subsistere nequit, hinc cultus divini contemtores & in majestatem divinam contumeliosos

C

lios

Quid ergo  
mitius quid  
gravius  
puniri pos-  
sit & debeat  
audiret

liosos omnium gravissimæ insequi debent pœnæ. Deinde verò sumnum in republica imperium obtinet Majestas civilis, quæ post Deum civitatis salutem maximè procurat, & est caput totius civitatis; hanc igitur quisquis sive per se sive in membris suis lædit, omnium maximam Reipublicæ infert perniciem, cum ex tanto facinore quo ipsum caput reipublicæ petitur totum corpus possit corruere, hinc & maxime graves pœnæ talibus imponuntur sceleribus, adeo ut qui etiam in minimo eorundem gradu deprehenditur extrema possit affici poena, uti elegantissimè loquitur illustris Puffendorf. *l. 8. c. 3.*  
*§. 23. de f. N. & G.* Tandem verò veniunt delicta privata, quæ ut appareat quanta sint punienda lenitate vel acerbitate, applicabimus huc illud quod post alios & Hobbesius in *Leviath.* *c. 27.* alias de omnibus in universum intelligit pœnis; hæc itaque quadruplici potissimum ratione considerantur: primo per *fons* sive *causa* undè oriuntur prævaricatum, secundo per exempli *contagium*, tertio per *damnum inad natam*, quartò per *circumstantias temporum, locorum, & personarum*. Hæc quatuor præcepta observata, illustrare poterunt omnem de pœnis legem, & dictabunt quomodo in posterum quæcunque lex pœnalis sit formanda.

#### XXIV.

Quomodo  
adit latitu-  
do in mo-  
ralibus.

Magna tamen interim remanet latitudo moralis, non enim præcisè hæc vel illa pœna à naturali jure vel recta ratione determinata est; hæc quippe tantum dictat, aliud crimen gravius, aliud vero mitius puniendum esse, ex hac ratione, quoniam majus indè emanat incommodum in rem publicam & sic quoque sentire videtur Zigler. *in notis ad H. Gros. de f. B.* & *P. l. 2. c. 20. §. 21.* dum sic loquitur: *etsi pœna genus non sit determinatum à natura, tamen pœnas ab ea exigi non est negandum.* Qualibet verò pœna hunc in modum debet exigi, ut mani-

manifestè appareat, Reipublicæ salutem postulare, ut deli-  
ctum admissum tanta vindicetur pœnâ.

XXV.

Sed explicandum videtur quousque pœnæ locum pos-  
sint habere in republica? sive cum mortis pœna omnium sit  
gravissima, an ea possit imponi delictis cœlibus, & quibus de-  
mum delictis ea imponi possit aut debet? lis igitur, qui alteri  
vitam ademerunt, justè iterum vita adimitur a Magistratu ci-  
vili, id quod indè videtur manifestum quoniam & divina id  
jubet lex, Gen. 9. v. 5. & Num. 35. v. 31, 33. & ipsa nobis dicitat  
recta ratio, ut siquidem commodè id fieri possit, quilibet tan-  
tum rursus patiatur malum quantum aliis intulit. Sed ibi  
subsistendum esse quidam putant, nec aliis pœnam capitalem  
imponendam delictis, quam iis quibus ipse Deus hanc impo-  
nendam decrevit: Deus enim ut optimus legislator & opti-  
me potuerit inspicere, quænam pœna cuivis delicto sit pro-  
portionata. In qua sententia ferè fuisse videtur H. Grotius  
l. 2. c. 1. §. 14. de j. B. & P. ubi hanc sententiam Scoti valdè pro-  
babilem esse dicit: *fas non esse quenquam ad mortem damnare,*  
*nisi ob delicta qua lex per Mosen data morte punivit*, addendo  
duntaxat, *aut qua his sunt paria recta estimacione.* Verum ut  
totam hanc quæstionem ordine tractemus, primum nostram  
sententiam explicabimus, deinde ad objectionem hanc re-  
sponsuri. Supponamus itaque hic quod alioqui probare haut  
foret difficile, scilicet defensionem sui homini esse naturalem:  
omne verò illud quod singulis hominibus naturale est, illud  
etiam est naturale societati cœlibi, utpote, quæ tandem in sin-  
gulos homines resolvitur, si ejus partes minimas habere veli-  
mus; dum itaque societas ejusve supremus rector punit illos a  
quibus lreditur societas vel unus ex cœlibus, planè naturali  
modo agit; & quoniam civitas majus habet imperium in

C 2

singulos,

An delicta  
cœliba  
mortæ pos-  
sunt puni-  
nir?

tingulos, hinc & hi, penes quos est hoc imperium, majorem debent rationem habere universitatis, si necessitas postulet quam unius partis ac membra; hinc vel mortis suppicio affici possunt ii qui delicto suo aut publicam salutem in præsentissimum discrimen adducunt, aut privatis saltē hominibus tam grave damnum inferunt, quod exemplo aut re nocentissimum est. Unde satis probatum arbitramur, rempublicam etiam civilibus delictis poenam imponere posse capitalem. Quod vero attinet ad objectionem illorum, qui Deum tanquam optimum allegant legislatorem, & quod optimum potuerit ferre iudicium de poena delicto debita, recte illi quidem sentiunt de Deo, ejusque sapientia, sed voluntatis divinae minus accurati sunt interpretes. Quippe delicta civilia pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum nunc gravius nunc levius damnum Reipublicæ ejusve membris inferre possunt, & inde diversam merentur poenam: unde & Deus tanquam Rex Hebræorū tales decidit casus, & genio populi sui omnia accommodare voluit. In nostris autem rebus publicis casus evenire possunt, quibus mortis poena locum invenire haut possit, quæ secundum leges Judæorum irrogari debuit, possuntque evenire casus, quibus mortis poena locum habere possit, quæ secundum leges populi Hebrei locum invenire non debuit: nimirum, multis grassatibus exemplo opus est; quem textum Juris Civilis eleganter usurpat H. Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 35. & Symmachus hoc explicat l. 2. Epist. 13. his verbis: *Tantum denuò legibus severitatis addendum est quantum flagitia creverint.* Optimè sanè & convenienter dictum indoli ac genio justitiæ, quæ poenas delictis proportionatas & æquales, adeoque pro delicti magnitudine capitales quoque & quæ ultimum supplicium continent irrogandas esse dictitat.

XXVI.

## XXVI.

Justè itaque in republica fures puniuntur suspendio licet An fures  
tantum fuerit res mediocris precii ablata; imò & justè Prin- possint  
ceps constituit poenam capitalem in fures ferarum: sunt enim capite ple-  
hæc delicta ex eo genere quæ magnam continent malitiam,  
imò supponitur hic quod delinquens sciat promulgatum esse  
edictum illud quo capitalis constituitur poena in fures fera-  
rum; & hoc casu sanè is maximam exercet improbitatem qui  
in contemptum legis furtum illud & capitale delictum com-  
mittit. Solet tamen & distinctio quædam hic adhiberi inter  
illos qui non tam fures ferarum dici merentur quam occisores  
earum, dum illas damnum inferentes intuiti, amore rerum  
propriarum & justo dolore iacitati è medio tollere haud du-  
bitavere.

## XXVII.

Hilce dictum in modum perpensis de poena corporis af- An carcer  
flictiva agendum, & principio quidem de carcere & tortura idem sit  
num & quatenus hæ quoque poenæ dici & esse possint? Car- peona.  
cer quidem in genere definiri solet per malam mansionem, in-  
terim tamen dupli ratione incarceratio fieri solet, una illa est  
quæ tantum fit custodiæ gratia, cum aliquis ut delictum ab eo  
perpetratum inquire & plenius cognosci queat, occluditur in  
loco tutiori, unde facile evadere non posse, vel etiam catenis  
quandoque constringitur: talis incarceratio licet maximè mo-  
lesta sit illi qui eam perpetri cogitur, tamen poena propriè lo-  
quendo dici nequit, cum non infligatur propter delictum com-  
missum, de hoc enim nondum fatis constat, pendente adhuc  
cognitione & speciali inquisitione. De hac itaque incarceratio-  
ne rectissime pronunciat Hobbesius in Leviath. c. 28. hunc in  
modum: *malum quod quis reus ante quam audiatur & condemne-  
tur per custodiæ patitur, plus quam custodiæ necessarium est, con-*

*tra natura leges infligitur.* Ethanc injustitiam agnoscunt quoque jura Civilia, dum in carcerem conjectis certis casibus permittunt offerre cautionem, ut ea praestita obtineatur liberatio à molestia carceris: scilicet quando delictum quod in inquisitione versatur tam atrox non est, ut si id probatum, demonstratum, & incarcерatus ejusdem convictus fuerit, poena aut corporis afflictiva, aut capitale supplicium ei irrogari debeat Vid. Brunnem. de Inquisit. processu c. 8. m. 1. n. 5. Et injustam incarcerationem inter injurias reales numerant DD. apud Carpz. Pract. rer. crim. p. 2. qu. 99. n 69.70. Altera verò incarceratione est, quæ a judice decernitur illi qui crimen aliquod commisit quod carceris poena dignum est. Hæc incarceration poena propriè dicitur, & pertinet ad emendationem delinquentis, qui finis si per eam aliquoties irrogatam obtineri non possit, ad majorem irrogandam procedere Magistratus consuevit.

### XXVIII.

An tortura dici possit poena.

Sed nec tortura potest dici poena delicti; cum ad inquisitionem in delictum commissum ea pertineat, nec decernatur finita demum inquisitione, sed in ejus processu imponatur, ad pervestigandam veritatem facti. Verum non temerè, nec ex quavis præsumptione, sed ex gravissimis indiciis, & in tali delicto quod poenam capitis meretur ad torturam pervenire licet, in cuius adhibitione modus quoque observandus est, ne tortura quæ nullo pene casu crudelitate vacat, ipso supplicio sit aliorum.

### XXIX.

An cadaveribus facinorosorum adhuc restat solvenda quæstio, an illa possint quoque puniri, & num in hæc poena propriè dicta statui possit? Tertatur siquidem experientia, illis qui criminis alicujus atrocioris rei in carcerem fuerunt conjecti, & in ejus lqvatore fortè mortui sunt, i. m. & illis qui violentas

lentas sibi intulerunt manus honestam denegari sepulturam, sed potius ignominioso ritu horum corpora sepeliri, & præterea testantur historiæ, quorundam corpora jam humata rursus effossa, & ignominiosè tractata esse. De hoc igitur disquiritur, an illa ignominia propriè loquendo dici possit poena? Affirmativam tenere videtur Ferdin. Vasquius *l. 3 controv. illust.* c. 96. §. 10., rationemque addit quare hæc poena prohibitionis sepulturæ statui solita sit in mortuos; scilicet *quia hoc sit de natura hujus pœnae quod post mortem infligatur, quia vivus non sepelitur;* & in eodem capite hoc adfert exemplum, quod si quis dum erat sanæ mentis occiderit Patrem, postea verò inciderit in furorem, tunc non possit capitali poena affici, sed cadaver ejus possit sepultura prohiberi. Verum non possumus huic sententiæ calculum nostrum addere, est enim poena malum passionis, non verò potest dici, quod poenam patiatur aut pati possit omni sensu destitutus, unde *l. 6. ff. de publ. judiciis* ait: *defuncto eo qui reus fuit criminis & pœna extincta; adeoque nec illa poena est, sed potius detestatio facti, quod cum delinquens rebus humanis subtractus sit, poena propriè dicta affici non potest.* Itaque in defunctum statuitur exemplum ad terrendos alios qui adhuc superstites facile intelligunt, quid pati debuisse et facinorosus, si diuturnior lucis usura ei contigisset.

### XXX.

Hæc hactenus dicta sunt de poena corporis afflictiva, jam De pœna agendum quoque paucis de poena pecuniaria. Quod hæc pœna pecuniaria. pœna facilius locum inveniat quam poena corporis afflictiva, aut ea quæ ultimum supplicium continet, nullum est dubium. Hac verò pecuniaria pœna unum alterumque finem quem res publica in pœnis irrogandis sibi proponit obtineri posse inde probamus, quoniam amissio bonorum, quam multa continet, dolorem affert, quo tum ipse qui deliquit ab iteratione, tum alii,

alii , qui delinquenti, talem poenam quæ privationem medio-  
rum vivendi continet, irrogari intelligunt, ab iteratione delicti  
deterreantur. Videmus sane plerosque homines pro conser-  
vandis bonis ac fortunis suis , non minus quam pro vita ipsa  
esse sollicitos , cum vita sine vivendi mediis conservari non  
possit, & , ut Aristoteles l. 4. Ethic. ad Nicom. c. 1. bene pronun-  
ciat ; *unicuique pernicies ac perditio quadam sui ipsius esse videretur*  
*etiam facultatum interitus.* Duplii autem ratione pecuniaria  
poena solet decerni, primò velut in subsidium ad redimendam  
aliam magis ignominiosam poenam exilii aut corporis afflic-  
tivam ; deindè verò leges sumptuariae in nonnullis locis , ubi &  
ad frugalitatem civium publica disciplina intenta est , certam  
transgressoribus poenam decernunt , quam quivis declinare  
potest obtemperando legi , qui verò illam lege definitam pe-  
cunia suminam solvit, eo ipso impetrat velut privilegium, ut  
ipsi liceat impunè contralegem hanc agere ; & tunc quidem ei  
poena haut irrogatur , quæ tamen irrogatur , siquidem prius  
non impetrata venia contra legem agat, & deinceps compella-  
tur ad solvendam multam.

### XXXI.

An hæres  
pro defun-  
cto possit  
puniri ?

Tandem cum obligatio ad poenam oriatur ex merito, me-  
ritum autem sit personale quippe ex actu voluntatis ortum  
habens , quem voluntatis actum necessitate quadam sequitur,  
ita ut qui actum certi cujusdam meriti illativum sponte com-  
misit, huic demum illud meritum incubet, nec possit illud per  
naturam suam extendi ad alium, quam qui voluntate sua eose  
obstrinxit, hinc facile judicari poterit , num alter pro altero  
puniri possit? In sacris literis unus alterque occurrit locus, ex  
quo colligi posse videtur reatum delinquentis non ad solum  
delinquentem, sed & ad alios fuisse extensum; Et Grotii qui-  
dem sententia de iis casibus manifesta est ex ejus lib. 2 de J. B. &  
P. c. 21.

P.c.21. §.14. sed jus illud dominii quod Grotius in Acanis, Saulis, Jeroboami, Achabi liberos exercitum fuisse prætendit, cum justitia ac sapientia divina stare non potest, id quod eruditè ostendit Dn. Ziegler. animad. in libr. 2. c. 20. §.4. & c. 21.  
§.14. H. Grot. ac porro docet Achanis, Saulis &c. familias paternorum delictorum, ac proinde & poenarum confortes fuisse. Eandem interpretationem habet comminatio divina de vindicanda parentum iniquitate in eorum posteris usque ad quartam generationem. Vid. Zogl. loc. cit. Denique & humana hic adferri solent exempla cum talem proponunt casum, quando propter delictum atrox parentes non tantum capite & vita, sed & omnibus simul bonis privantur, adeò ut liberi hoc maximè sentiant, dum vitam inopem & arumnosam coguntur hoc modo vivere: sed & illis respondemus cum H. Grot l. 2. c. 21. de J. B. & P. § 10. quod illi quidem sentiant hoc incommodum, sed propriè ea pena non sit, quia bona illorum futura non erant nisi a Parentibus ad ultimum spiritum essent conservata: illa siquidem confiscatio bonorum quam pater ob delictum suum incurrit, ad liberos quidem effectum suum porrigit; verum hi indè non dicuntur puniri, sed infortunium pati ex delicto & poena parentis: poenæ enim qua poenæ suos tantum auctores tenent.

### XXXII.

Diversæ verò considerationis est fidejussorum conditio; hi enim licet certo casu id præstare compellantur, quod alter debet, indè tamen poenam non dicuntur sustinere, etiamsi solvant certam pecuniæ summam, quæ delinquenti in multam dictata. Hæc enim fidejussoris obligatio ex contractu provenit, non ex reatu aut delicto, licet occasione delicti alicujus contracta sit; in tantum verò potest quis fidejubere, in quantum habet potestatem in se; cum itaque homo non habeat potestatem

An fidejussor pro alio puniri possit?

D

testatem in membra corporis sui & in propriam vitam, ut ea corrumperet aut destruere possit, quam sententiam pulchre confirmat Vasquius Part 1. contr illusfr. c. 11. idèò nec poenam corporis afflictivam aut mortem pro altero potest suscipere aut sustinendam promittere, undè & in criminalibus non admittitur fidejussio, si tam grave admissum sit delictum quod capitis poenam incurrat. Hinc optimè inquit Pufendorff. l. 8. c. 3. § 32. de J. N. & G. quod quando delinquente elapsa ad vadim necessitas luendi devolvatur, non spectandum sit, quantum mali delinquenti rectè poruerit imponi, sed ad quid malorum pro altero tolerandum nudo suo consensu obligare se se quis posnerit. Idem concisius tradit Grot. l. 2. c. 2. §. 11. de J. B. & P. Et Juris civilis interpretes iisdem rationibus moti recte statuunt, ut maximè ad pœnam corporalem se se obligaret fidejussor, tamen non puniretur corporaliter, sed pecuniarie. Anton. Hering. de fidejuss. c. 20. §. 9. n. 37.

### XXIII.

Quomodo  
delicta co-  
pta puniri  
debeant &  
possint?

Pœna quomodo delictis imponi debeat ut dicatur proportionata hactenus consideravimus, una adhuc disquisitio restat de delictis inchoatis quidem sed nondum consummati, an tūc illicet & quomodo illa puniri debeant? puniri illa debere, siquidem in externum processerint actum inde manifestum videtur, quoniam omnis qui re aut exemplo societatem laedit pœnæ videtur obnoxius, omnem verò conatum delinquendi si non & re saltem exemplo nocere inde constat, quod ad imitationem alii facile soleant inducere ejus, quod cum spe emolumenti conjunctum & impune tentatum est; sed num & quæ graviter puniri possit conatus ille, ac si esset consummatum delictum hoc est de quo disquiritur. Si velimus ex inductione nostram probare sententiam, videmus nonnullas leges a que gravem pœnam decernere in delictum attentatum quam sta- tuunt

tuunt in delictum consummatum; Exempla quoque testantur  
et quod graviter punitos illos qui consilium tantum habuerunt de  
interficiendo Rege, quam si ipsum Regicidium sit inlecutum.  
Contra vero aliis casibus aut nullam poenam, aut levem tan-  
tummodo dictatam videmus, si conatus delinquendi in a-  
ctum externum erumpens ad consummationem haut pro-  
cesserit, idque ideo, quod aut poenitentia ductus, aut vero ex  
principio externo conatus ille impeditus fuerit, quominus  
perficeret id, quod prava mente destinatum & factio ipso ten-  
tatum quidem, sed non consummatum: Utique enim maius  
damnum ac delictum est quod ad actum ultimum & execu-  
tionem processit, quam quod in ortu aut processu ante con-  
summationem abrumpitur; quamobrem si poena delicto æ-  
qualis esse debet, ut fieri par est, delicta sanè attentata cum  
consummatis haut possunt æquali poena affici; sic enim inæ-  
qualia delicta, æqualibus afficerentur poenis, id quod justitiae  
ratio non permittit. Verum nostra hæc sententia pulchre  
stabilitur a doctrina Illustris Pufendorff. l. 8. c. 3. § 18. ac f. N.  
& G. ubi sic loquitur: Observandum, naturaliter propositum &  
desiderium facinus aliquid patrandi hancquam pari gravi-  
tatem cum ipso facinore perfecto censeri posse, quippe cum longè a-  
trocior se se male facies animo representes, quando cominus ad i-  
psum patrarium acceditur, quaque adeò obstinate animi propositio  
superanda est, quam ubi vult eminus adhuc de facinore cogitato  
suscipitur. Quando igitur voluntas factio æquipollere dici-  
tur, id intelligendum est de illa voluntate, quæ cum ultimo  
conatu & executione propositi conjuncta est. Fatalem ta-  
men, nonnullorum delictorum tantam esse atrocitatem, ut &  
attentata pene eadem poena affici possint, quæ consumma-  
tis imponenda foret, quale est crimen læsa Majestatis hu-  
manæ.

## XXXIV

*Confirmatur nostra sententia testimonio auctoris de principiis justi & deus, quia nondum adfuit vera causa & realis influens in effectum.*

Idem hactenus nobiscum sentit auctor *de principiis justi & decori* pag. 161. ubi sic loquitur: *qui voluit aliquem obrunca-re, in irritum tamen excidit ejus conatus, ille homicidiis non est re-auctorius de us, quia nondum adfuit vera causa & realis influens in effectum.* Etenim reatus homicidii non ex solo conatu, sed ex ejus consummatione procedit; tamdiu quippe homicidium nondum est commissum quamdiu vita adhuc superstes est ei, cui mors intentata: Et quamvis praesto sit animus atque intentio occidendi, quamvis manus telo mortifero instructa iustum lethalem intentet, si tamen in irritum excidat conatus iste, vera causa & realiter influens in effectum non adest, utpote cum effectus ipse, id est homicidium, non subsequatur. Fatemur quidem æqualem esse malitiam in eo qui animo occidendi alterum occidit, & in eo, qui animum occidendi habens alteri mortem intentavit, sed irrito conatu; Verum enim verò utut & que prava sit utriusque intentio, delictum tamen æquale non subest; utpote quod non ex sola intentione, sed etiam ex effectu ipso pondus & momentum suum adipiscitur. Sic nempe & ex *nōcumento* *afsimilatur delicti magnitudo*, Aristot. *li. 1. Rhetor. cap. XIV. §. 4.* Et hanc circumstantiam accurate quoque observat lex civilis, *i. §. 2. ff. de extraordinariis criminibus*: *¶ perfecto flagitio puniuntur capite; imperfecto, in insulam deportantur.*

## XXXV.

*Quando poena remitti possit*

Postquam jam brevibus exposuimus quomodo ex natura justitiae unumquodque delictum puniri debeat, jam quoque pari ratione tradenda restat doctrina de jure aggratiandi, sive de remissione poenarum, an & quando illa locum habere possit? Videlicet explicatum jam est supra in principio, poenarum inflictionem descendere ex obligatione illa qua se se adstrin-

adstringunt qui se civili imperio subjiciunt; cum itaque hoc  
requirat lex illius societatis ut delicto admisso necessariò se-  
qui debeat poena quam delinquens meruit, ne publica priva-  
taque salus intermissa poenae irrogatione periclitetur, hinc fa-  
cile licebit concludere quod non possit ulla remissio poena-  
rum habere locum. Etenim delicta aut committuntur con-  
tra Majestatem Divinam, & in his Majestas civilis non habet  
dispensandi potestatem; utpotè cui tantum executio injun-  
cta videtur eorum quæ ad vindicandum contemtum Numi-  
nis pertinent. Aut verò contra Majestatem humanam & in-  
columitatē Reipublicæ delinquitur, atq; & hic salus publica  
ad cuius tutelam Majestas devincta est non permittit dispen-  
sationem, utpotè per quam Respublica in extremum conji-  
citur periculum; aut denique privatum est delictum de cuius  
poena agitur, sed & in his delictis poenæ videntur necellariæ,  
cum singulorum quoque salus Majestati curæ esse debeat, ea  
verò negligi videatur, si contra privatorum vitam fortunas-  
que impunè liceat peccare: Verum enim verò jus illud aggra-  
tiandi & dispensatio in poenis duplici modo potest fieri; primò  
dum poena omnino non irrogatur, ut delictum maneat im-  
punitum, id quod nullo casu Majestati permisum videtur, ni-  
si quando aut delinquentis copia haberri non potest, aut non  
sine evidentissimo periculo vindicta tentatur, ut opus sit per  
*āmīstār* abolere ea quæ perperam acta, id quod consultum  
est fieri quoties multitudo delinquentium adest, quorum co-  
ercitio desolationem allatura sit, aut seditionem excitatura.  
Secundò dum poena ordinaria propter unam atque alteram  
circumstantiam relevantem mutatur in poenam leviorem, id  
quod variis ex causis fieri potest, quarum momenta hic ex-  
pendere non vacat. Vid. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 25, 26,  
& seqq.

## XXXVI.

An Magi-  
stratus in-  
ferior pœ-  
nam con-  
donare  
posit?

Hæc autem, de qua dicere cœpimus, aggratiandi potestas, solis videtur competere supremam regendæ Republicæ potestatem habentibus; qui scilicet leges in sua manu habent, ut earum rigorem extraordinaria quādam humanitate temperare valeant, quoties justa subest causa remittendi aliquid a rigore quem frequentia & gravitas delictorum ordinariē exigit. Magistratus autem & judices inferiores jurejurando adstricti sunt, ne aliter judicent, quam legibus, moribus aut constitutionibus proditum est; hinc in horum potestate non aliam quam quæ in præsentem delicti speciem constituta est delinquenti pœnam dicitare & executi, qua si se se plus justo gravari putet reus, integrum ei est provocare ad superiorem judicem, atque hoc modo obtinere iteratum causæ sua examen, quo finito consequatur id, quod supremo judici visum.

## XXXVII.

Quomodo  
civitas pu-  
niatur?

Possunt verò non tantum singulare personæ delinquere, sed etiam integræ communitates ac civitates, verbi gratia si communis suffragio ad rebellionem prorumpant, & tunc quan- nam ratione punitur persona singulatis, eadem & tota urbs puniri potest ac debet. Solet tamen & hoc casu inquire in auctores rebellionis, in quos longè maxima severitate animadvertisit, ceteris verò prout in majore aut minore sunt reatu, graviores aut leviores infliguntur pœnæ. Neque tantummodo singuli eo casu rapiuntur ad supplicium, quorum scilicet inter ceteros eminuit audacia, sed & tota universitas in exemplum punitur eversione, aut verò quadam degradatione, dum muri & reliqua in urbis speciem composita detrahuntur & ignobilis vicus redditur, antè insignis civitas H. Grot. de I.B. & P. l.2. c.21. §.7. conf. P. A. rodii Decretorum rerum apud diversos populos ab omni antiquitate judicatarum lib.2. tit. IX. Ad leg. Jul. Majest. §.12. de arya civitate Peloponnesi.

## XXXIX.

### XXXIX.

Omnia quæ de poenis haetenus dicta sunt intelligi debent locum haberet in societate civili , aut systemate societatis civilis , ubi suprema potestas leges definit, quarum violatores competentibus subjicit poenis. Quod si autem summarum potestatum una alteram damno aut injuria afficiat , poena quidem temporalis propriè dicta , scilicet quæ auctoritate superioris irrogetur, hoc casu locum haud invenit ; sed redire hic dicunt merum jus naturæ , quod defensionem sui unicuique permittit. Publicæ tamen tranquillitatis in societate humana interest , ne in bella cruenta descendatur , sed interpositis mediatoribus controversiæ fopiantur , & regionum atque urbium eversiones atque desolations præcaveantur : nequaquam enim tanta ex bello vindictæ dulcedo hauritur , quanta est calamitas quam belli incommoda adferunt.

### XXXIX.

Sed hic esto terminus , quem brevissimo cursu attingere sicut animus , ne mole sua & oculos benevoli Lectoris opus alias satis tenerum & immaturum possit offendere. Sisto itaque hic pedem aliquie temporis & feliciori animi ac virium progresiū uberiora reservo.

F I N I S.











01 A 6615



B 1010

DIA  
JUL  
VII

66

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSERTATIO PHILOSOPHICA

POENIS

2 V A M

D. O. M. A.

P R Ä S I D E

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMO,

JOHANNE EISENHART

J. U. D. hujusq; & Philos. Moral. Prof.  
Publ.

IN JULIO MAJORI

*Publico examini subjicer*  
die xvi. Julii

GEORGIUS GRUND

Stadensis.

A. & Respondens.

HELMESTADI,

Typis Hæredum HENRICI DAVIDIS MÜLLERI.

Acad. Typ. Anno ccc lxxxv.